

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2094

Auteur(s) : Évreux (official)

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1256, 16 mai

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Devant l'official d'Évreux, Nicolas le Français et Mathilde, sa femme, reconnaissent avoir vendu aux abbé et religieux de Saint-Taurin, moyennant treize livres tournois, cinq sols et un chapon de rente annuelle qu'ils avaient sur une mesure au Martrey de Louviers, devant la maison de Roger du Martrey, entre le chemin et la maison de Richard Vesdie, et sept sols tournois de revenu annuel sur une autre mesure de Richard Vesdie, située entre la maison de Jean de la Cour et celle de Christophe le Fevre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCVI, p. 248-249.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis Ebroicensis, salutem in Domino.
Noveritis quod in nostra presentia constituti Nicholaus dictus Gallicus et Matildis, ejus uxor, recognoverunt se vendidisse et dimisisse ac omnino dereliquisse dominis suis abbati et conventui Sancti Taurini Ebroicensis quinque solidos et unum caponem annui redditus, de una masura sita apud Locumveris in Martreyo, ante domum Rogeri de Martreyo, inter cheminum et domum Richardi Vesdie, persolvendos annuatim ad Natale Domini ; et super unam masuram quam tenet Richardus Vesdie, inter domum Johannis de Curia et domum Xpistofori Fabri, septem solidos turonenses annui redditus, videlicet : tres solidos et sex denarios ad festum sancti Remigii et tres solidos et sex denarios ad Pasca, dictis religiosis persolvendos ; et novem solidos supra domum dicti Johannis sitam juxta dictam masuram, ex una parte et domum datam in maritagium cum Ascelina dicta Vesdie, ex altera, persolvendos dictis terminis beati Remigii et Pasche, scilicet medietatem in quolibet termino et duo miliaria nucum super quoddam gardinum et masuram sitam juxta gardinum Rogeri Bourdon et prata monachorum de Bono portu, reddendos in festo Omnium Sanctorum. Habenda et tenenda omnia predicta in puram et liberam elemosimam dictis religiosis, ita libere et quiete sicut aliqua elemosina liberius aut quietius haberri potest aut possideri. Et nos et heredes nostri omnia predicta prefatis religiosis contra omnes sumptibus nostris garantizare tenemur, vel facere eis bonum excambium in residuo hereditatis nostre ubicunque fuerit in regno Francie ; et juravimus quod contra hoc nunquam veniemus ratione dotalicij aut quavis alia ratione, salvo redditu abbatis Sancti Taurini, scilicet quatuor solidos et sex denarios eis reddendos sicut prius. Et propter hoc dederunt predicti religiosi, de sua substantia, pre manibus tresdecim libras turonenses predictis Nicholao et uxori sue, ut dicebant, et inde se tenebant pro bene pagatis.

In cuius rei testimonium, ad instantiam dictorum parcum, sigillum curie Ebroicensis cum sigillis dictorum Nicholai et Matildis presentibus litteris apposuimus.

Datum anno Domini M° CC° quinquagesimo sexto, die Martis post dominicam qua cantatur : Cantate Domino.

